



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Specvlvm Iuentvtis, Sive Insigniores Pveritiæ Atqve Adolescentiæ Sanctorvm

Bosendorf, Hermann

Monasterii VWestphalorvm, 1615

Columbanus Abbas 21. Nouemb.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42900

PVERITIA S. COLVMBANI ABBATIS.

21. Nouemb. Sur. Tom. 6.

Columbanus in Hybernia, inter ipsa fidei
 Cillic nascentis primordia, oriundus, non
 sine futuræ sanctitatis præfagio in lucem pro-
 dijt. Eius namq; genitrix, iam prægnans, vidit
 nocte quadam rutilantem è sinu suo prodire
 solem, & mundo ingens lumen præbere. Por-
 ro Columbanus exactis infantiaë annis, pube-
 scente ætate grammatices atq; artium libera-
 lium studijs capaci inprimis ingenio operam
 nauare cœpit: eamq; ad virilem vsq; ætatem
 magna animi cõtentione psecutus est. Sed cum *Alacritas*
 eũ formę elegantia, & corporis cãdor, omnib; *in studijs.*
 gratum redderet, cœpit antiquus hostis letife-
 ra in eum tela vibrare. Lasciuas igitur puellas
 eius amore inflammat, quę præsertim venusta-
 te corporis infaustis possent cupiditatibus mi-
 seros fauciare atq; implicare. Itaque egregius
 miles tot se vndique telis appeti atque vrgeri
 conspiciens, sciens nihil esse tam sanctum reli-
 gione, tamq; custodia clausum, quo penetrare
 libido nequeat, contra immanes hostiũ cune-
 os ad pugnam sese accinxit, ne frustrato labo-
 re, quem in honestissimarum rerum studijs
 collocãrat seculi illecebris occuparetur. Tum
 vero natale solum relinquere, & pio peregri-
 nationis studio peccandi euitare molitur ille-
 cebram. Mater itaq; se à filio desereri per mole-
 stè ferens, cum precibus nihil obtineret, limen
 occu-

*Fuga tue-
 tur pudicã-
 riam.*

occu-

*Constantia
animi.*

occupat, atq; humi prostrata eiulans exitum intercludit. At Columbanus defixis in Christum oculis, ac limen matremq; transfiliens, orat ut æquo sit animo, magnum à Deo in cælis præmium pro ea re perceptura. Atq; sic patria demigrans, primo ad Senilem, qui eo tempore singulari religione, & scripturarum sacrarum eruditione inter suos pollebat, se cõtulit: Quo doctore præclarè instructus, sub Abbate Comogello regularis disciplinæ cultum auspiciatur. Vbi in stadium perfectionis admissus omnes religiosæ obseruantiaë implebat numeros, & mortificationis studio cõtinenter intentus, orationibus & ieiunijs vacare gaudebat.

EXEMPLVM S. CAECILIAE VIRGINIS
& mart. 22. Nou. Sur. Tom 6.

Virginitas.

CAecilia virgo Romana nobili genere nata, à prima ætate Christianæ fidei præceptis instituta, virginitatem suam Deo vouerat, & Euangelium Christi semper in pectore circumferens, eiusdem lectitare eloquia, opemq; feruidis precibus exorare nec noctu nec interdium intermittebat. Cum vero Valerianus eximia corporis specie iuuenis, nihil non moliretur, ut cupitis eius nuptijs, summa parætum voluntate, potiri posset; Cæcilia quanquam auro gemmisq; ornata, mundo nonnihil seruire parentum iussu cogèretur, cilicio tamen ad nudã carnem induta, illicitos motus egregie refrænabat, animumq; Euægèlica lectione
ad

*Carnè do-
mat cilicio.*